

**DOCTRINA  
DOGMATICA  
ROMANO-  
CATHOLICA  
MILITANTIS  
ECCLESIAE,  
CHRISTUS DEI FILIUS,  
IN HUMANIS AGERET,  
SUPRA  
PETRUM PETRAM, AC ROMANOS  
PONTIFICES  
PETRI SUCCESSORES AEDIFICAVIT,  
ADVERSUS QUAM PORTAE INFERI NON PRAEVALEBUNT,**

*Publicæ Concertationi exposita*

Labaci in Æde Gloriosissimæ Virginis in Cœlos Assumptæ  
Anno Reparatæ salutis MDCLXIII.

Mense Augusto die

*Propugnantibus*

V.P. FRANC. XAV. BELLITSCH, & Rel. Fr. BENEDICTO  
MULLEI, Ord. Min. Stric. Observ. Theologiæ Studentibus.

**P RÆ S I D E**

P. F. SIMEONE PURGER, ejusdem Sacri Instituti  
Ss. Theol. Lectore Generali.

CUM FACULTATE SUPERIORUM.

---

LABACI, typis JOANNIS GEORGII HEPNER, Inclyt. Provinc.  
Carnioliae Typographi.

# CHRISTUS DEI FILIUS ECCLÆSIAE CATHOLICÆ ROMANO-DOGMATICÆ DOCTRINA

# PONTIFICES PATERUM AC ROMANOS

## THE SUGARORS AMERICAN

analogous immunostaining with IgG antibodies.

301M PERIODICALS SECTION CUA

The following table

## REFERENCES

A. S. HORNIG PURGER, General Sales Manager

卷之三十一

WELCOMING STATE AND CITIZENS

$$m = 030006200$$



## *De Vera Christi Ecclesia.*

### I.

**E**VANGELICAM de vera Christi Ecclesia proponimus Doctrinam, quâ Hæreticis & viam veritatis Evangelicæ, & viam salutis æternæ aperire, atque per tot, ac tanta credibilitatis motiva adeò evidenter ostendere intendimus; ut nemo sanæ mentis prudenter amplius dubitare possit, quænam vera sit illa Ecclesia, quam multis Prophetarum vaticiniis ut Isai. 2. à v. 2., & 6. v. 9. prænuntiatam, multis Patriarcharum figuris in Lege veteri ut Gen. 6. à v. 14. & c. 14 à v. 18. adumbratam Christus DEI Filius, verus Legislator à DEO missus in Lege Evangelica instituit, atque omnem hominem, si secus æternam velit consequi salutem, ut eam ingrediatur, obligavit Marc. 16. v. 15. Eantes in mundum universum prædicate Evangelium omni creature... qui autem non crediderit, condemnabitur. Indubitatum ergo supponimus: *Dari in terris militantem Christi Ecclesiam*, cuius legitima est hæc descriptio, quod sit *cætus*, seu congregatio fidelium, unam, eandemque fidem profitentium, in eorundem Sacramentorum communione, sub Regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue Romani Pontificis tanquam Supremi Capitis, & in terris Vicarii Christi. Nec audiendus est hic sive Launojus, sive Renzius perperam autumantes ly sub Regimine Pastorum esse novum additamentum antiquis Catholice penitus ignotum; audiant enim Paulum Apostolum, dum à Mileto misisset Ephesum, Majores natu exhortantem Act. 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsum primis jam Sæculis docue-

funt Ss. Patres Irenæus l. 3. contra Hæreses c. 3. S. Cyprian. Epist. 69. ad Papianum cum aliis, & Christus ipse Ecclesiam sub Regimine esse voluit, cùm dixisset Petro Joan. 20. *Pasce oves meas.*

## II.

Ut autem Hæretici statim in principio jam excogitatæ à se Doctrinæ errare possent; illico à descriptione Ecclesiæ inceperunt; nam III. mox Sæculo post Christum natum dicebant Donatistæ veram Christi Ecclesiam esse congregationem solum proborum, & quidem Donatistarum. Novatiani Ecclesiam esse congregationem eorum, qui nunquam in graviora peccata sunt lapsi circa confessionem fidei. Hunc errorem Sæculo V. suscitârunt Pelagiani docentes Christi Ecclesiam esse congregationem perfectorum nullum peccatum habentium. Hos tandem Sæculo XVI. secutus est Lutherus dicendo Ecclesiam esse congregationem Sanctorum.

## III.

Quis autem in hujusmodi descriptionibus Ecclesiæ latentes non animadvertisit errores Evangelicæ veritati aperte repugnantes? audient enim Novatores isti Divinam Christi ipsius institutionem pervertere; nam si Ecclesia Christi ex *Justis* duntaxat, & *Sanctis* constaret; peccatores autem à veris Ecclesiæ membris penitus excludi deberent, dicant: cur Christus in Ecclesia sua Sacrum Pœnitentiæ Sacramentum instituit Joan. 20. dicens Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* cur sub interminatione æternæ damnationis pœnitentiam agendum præcepit? Luc. 13. *Si penitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Iusuper fratrem, si peccaverit, ad Ecclesiam deferri mandavit Matth. 18., & si non Ecclesiam audierit, sit tibi sicut *Aethnacus*, & *Publicanus*, quod certè de levi culpa non intelligendum. Si autem Christus tanquam benignus Pater peccatores in sua Ecclesia patitur, cur à nobis ex gremio Ecclesiæ ejici deberent? Nec putent isti: Sacram ipsis Scripturam patrocinari, cùm peccatores ex Patre Diabolo, aut Filii Diaboli i. Joan. c. 3. *Spiritum Christi non babere* Rom. c. 8. dicantur; nam multis titulis Filii Dei efficimur, creatione Deut. 32. regeneratione, & charitate i. Joan. c. 3. *vitæ Christi imitatione* Matth. 5. Evangelicæ Doctrinæ professio-

Epist.  
Re-  
neas.  
à se  
ant;  
ve-  
dem  
qui  
unc  
am  
an-  
felle  
on  
u-  
em  
m-  
n-  
us  
m-  
?  
n-  
i-  
l-  
a-  
2-  
A-  
2-  
991

ffessione 1. Corinth. c. 4. Licet ergo peccatores ob deperditam per peccata Gratiam Sanctificantem Filii DEI non sint nominandi; sunt tamen adhuc Filii DEI ob retentam veræ fidei veritatem; sic intelligendi Ss. Patres, qui aliquando peccatores non esse in Ecclesia dicunt, ut inter alios S. Hieron. in com. ad Eph. 5. dicens, qui peccator est, aut aliqua forde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici. Fatendum ergo cum S. Aug. Tract. 6. in Joan. In Ecclesia & bonos, & malos esse; sed tanquam grana, & paleas, eosque, ut eleganter Lambrecht Scotus Tract. de fide. D. 1. q. 7., ob deperditam Gratiam Sanctificantem vivere quidem vitâ fidei; non tamen vita meriti.

#### IV.

Erravit & Wicleffus cum Calvinus, qui Christi Ecclesiam esse congregationem solum prædestinorum docebant. In hac sententia enim Pagani, Turcae, aliique infideles nondum baptizati, quos tamen Deus aliquando ad veram fidem convertendos, & salvandos præscit, jam in vera Christi Ecclesia esse dicendi forent, & Paulus actu persequens Ecclesiam DEI inter Ecclesiæ membra foret numerandus, quod tamen ipse Calvinus Edit. Genev. 1559. non admittit. Ideo S. Aug. Tr. 5. in Joan. Secundum Præscientiam DEI quam multæ oves, nempe prædestinati, foris! id est, extra Ecclesiam; quam multi lupi, nempe reprobi, intus! id est in Ecclesia Christi.

#### V.

Evangelicam igitur Doctrinam sequentes dicimus: illos fideles inter vera Christi Ecclesiæ membra numerari, qui sacro Baptismatis fonte initiati, unam, eandemque fidem profitentes, in eorundem Sacramentorum communione sub legitimis Pastoribus, uno præcipue Capite Romano Pontifice Christi Vicario existunt. Unde neque infideles, ut Turcae, Pagani; neque Cathecumeni (nisi affectu, & in voto) vera Christi Ecclesiæ membra dici possunt; quia nondum sunt renati ex aqua, & Spiritu Sancto. Joan. 3. v. 5.

#### VI.

Similiter Hæreticos omnes à veris Ecclesiæ membris excluimus; de his enim jam Apostolus Epist. ad Tit. c. 3. admonuit:

Hæreticum hominem post unam, vel alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est; . . . cum sit proprio iudicio condemnatus: quem omnes Ss. Patres sequuntur, ut Irenæus l. 3. c. 3. de S. Polycarpo multos hæreticos ad veram Ecclesiam perducente. S. Cyprian. Epist. ad Jabajan. Aug. l. de fid. Cath. relatus cap. Firmissime te ne, & nullatenus dubites, omnem Hæreticum, vel Schismaticum cum Diabolo, & Angelis ejus æterni ignis incendio participandum; nisi ante finem Catholicæ incorporatus, & reintegratus fuerit Ecclesiæ. Et quomodo gloriari possunt illi, se esse de Christi Ecclesia, qui Ecclesiam audire nolunt? de quibus Christus Matth. 18., Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Æthnicus, & Publicanus. Dicimus autem five sint manifesti, five occulti, illi nempe, qui externè simulant se esse Catholicos; internè tamen Catholicæ Ecclesiæ Doctrinam contemnunt, & abjiciunt: isti sicut simulatे credunt; ita simulatē ad Ecclesiam pertinent; DEUM tamen decipere non valent. De his Aug. l. 1. cont. Epist. Parm. c. 7. ait: Eos esse tantum dealbatos Christiano Nominе. Dicunt quidem sufficere; si articulos fundamentales credant, & non fundamentales abjiciant. Sed quæro ab ipsis, cur credant unum? cur non alias articulos? nunquid DEUS minus verax est in minima re revelanda, quam sit verax in maxima? minimè tamen sibi persuadeant, se à potestate, & jurisdictione Ecclesiæ Christi exemptos, cùm per baptismum ingressi ob indelebilem Characterem semper sub Ecclesiæ maneat jurisdictione; in quo sensu intelligendi sunt Ss. Patres, qui aliquando Hæreticos adhuc ad Ecclesiam pertinere dicunt.

## VII.

Insuper insignis error est Protestantum, qui veram Christi Ecclesiam invisibilem esse contendunt, de cuius rei falsitate vel ab ipsis Æthnicis Deos suos publico cultu colentibus edocentur; arbitror enim, DEUM publico, & externo cultu colendum esse judicabunt, & blasphemum dicent illum, qui negaret: insuper ipsi met frequentant sua, quæ habent Sacra menta; Evangelii prædicationem habent, utuntur baptismo, quæ omnia sunt exteriora, factis igitur attestantur, quod verbis omnino temerè negant. Adiant igitur Divinum de visibilitate Ecclesiæ testimonium 3.

Reg.

Reg. c. 8. v. 14. Convertit Rex ( Salomon ) faciem suam, & benedicit Ecclesiae Israël ; omnis enim Ecclesia Israël stabat. Audiant DEUM ipsum attestantem Isai. 61. v. 9. Fædus perpetuum feriam eis ( nempe veris fidelibus ) ... omnes , qui viderint eos , cognoscēt eos . Credant quoque verbis Christi , qui Ecclesiam suam sub sensibilibus , & externis instituit , ut prædicatione Evangelij Matth. 28, Euntes... docete omnes Gentes : administratione externa Sacramentorum , ut baptismi : Baptizantes eos : confectione Augustissimi Sacramenti : Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem . Non tamen in controversiam vocamus Ecclesiam esse invisibilem quoad dona spiritualia , & pugnam spiritualem , quâ contra mundum , carnem , & Diabolum militat ; sed visibilem esse dicimus quoad unionem membrorum , seu fidelium in externa fidei professione , Sacramentorum communione , & Hierarchica Gubernatione sub uno visibili Capite . Videmus igitur hæc externa , & ipsa credimus ex Divinæ veracitatis motivo à Christo in sua Ecclesia esse instituta .

### VIII.

Nec minoris momenti error est Novatorum , qui audent affirmare universam Christi Ecclesiam aliquando defecisse ; sed Christum mendacem redarguunt isti ; non enim infallibile erit verbum Christi ad Petrum dicentis : Luc. 22. v. 32. Ego autem rogavi pro te , ut non deficiat fides tua . Non stabit firma Christi promissio Matth. 16. v. 18. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam , si Ecclesia flante inferorum furore extincta periisset . Ideo S. Bern. cum aliis Ss. Patribus Hom. 79. Non deficiet genus Christianorum de terra . . . venerunt flumina , flaverunt venti , & impegerunt in eam , non cecidit , eò quod fundata esset supra petram ; petra autem erat Christus . Itaque neque verboitate Philosphorum , nec cavillationibus Hæreticorum , vel gladiis persecutorum potest ista , aut poterit unquam separari à charitate DEI . Quod si vero nec Christo credunt Novatores , nec unanimi Ss. Patrum sentimine velint ad veritatem Evangelicam persuaderi ; querimus ab ipsis id , quod S. Aug. nervoso dilemmate 1. 2. cont. Gaud. c. 8. Si vera Christi Ecclesia periit ? quæ ipsos genuit ? ubi eam invenerunt ? & si suam , quam tenent , veram esse Ecclesiam contendunt , à quo istud dicer-

dicerunt; si vera jam prius periiit Ecclesia? profectò oculis falsa  
fua, quibus irretiti detinentur, dogmata videre possunt; quam  
iniquè igitur interpretantur illud Christi Luc. 18. v. 8. *Filius ho-*  
*minis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* quasi Christus nullum  
fidelem sit reperturus; quomodo enim verificabitur illud Matth.  
24. & Marc. 13. Propter electos breviabuntur dies illi; si ergo elec-  
tos inveniet: igitur & fidem; cùm sine fide impossibile sit placere  
DEO. Hebr. 11. v. 6.

## IX.

Cùm DEUS, ut Doctor noster subtilis adnotat 4. D. 2. Q. 1.  
hominem ad legem perfectissimam, nempe Evangelicam deducere  
statuerit; sapientissimus ordo exigebat; ut à lege minus per-  
fecta initium fieret. A condito igitur mundo veram Christi Ec-  
clesiam semper floruisse, nec unquam defecisse defendimus; Chris-  
tianam enim Religionem ab initio mundi fuisse, ait Aug. 1. 1. Re-  
tract. c. 13. *Licet hoc nomine appellata non fuerit. Ecclesiam Serm.*  
4. de Esau, & Jacob, *accipite non in his solis, qui post Domini ad-*  
*ventum, & nativitatem esse cœperunt; sed quotquot fuerunt Sancti,*  
*ad ipsam pertinent.* Judicavit sapientissimus DEUS, qui hominem  
ad finem supernaturalem assequendum creavit, ut eundem per  
legem Naturæ inditam querere incipiat, per Scriptam clarius  
intelligat, ac tandem per legis Evangelicæ lumen clare digno-  
scat. Quanquam autem diversa essent tempora, modus, & status  
legis datæ; eadem tamen in essentia erat semper Ecclesia Christi;  
nam ait Aug. Tr. 45. in Joan. *Tempora variata sunt, non fides,*  
*cum & ipsa verba pro tempore varientur, cum varie declinantur; ...*  
*mutatus est sonus, venturus est, & venit.* Eadem igitur secundum  
essentiam erat Ecclesia tam legis Naturæ, quam Scriptæ, atque  
Evangelicæ: *ratione originis, nempe DEI Authoris: finis principa-*  
*lis, & ultimi, nempe æternæ beatitudinis: motivi credendorum,*  
*nempe Divinæ veracitatis, & objecti præcipui, nempe Messiæ fu-*  
*turi: diversa autem erat in Cæremoniis, Sacrificiis, aliisque,*  
*quæ erant umbra futurorum.* Ex quibus vident Novatores sa-  
pientissimam Divinæ Providentiæ Ordinationem, quæ in instituta  
à condito mundo Ecclesia adeò mirabiliter effulget; *omnes enim,*  
ait Aug. 1. de Catech. rud. c. 19. *Qui ante D. N. J. C. nativitatem*  
fue-

falsa  
quam  
us bo-  
llum  
atth.  
ele-  
lucere  
  
Q. i  
uce-  
per  
Ec-  
Chri-  
Re-  
erm  
ad-  
cti,  
iem  
per  
rius  
no-  
atus  
fti;  
les,  
  
...  
um  
que  
pa-  
m,  
fu-  
e,  
sa-  
ta  
m,  
en-

fuerunt, quamvis antea nati sunt, tamen universo corpori, cuius ille caput est, sub capite adhaeserunt. Erant Sacra menta Tr. 26. in Joan. in signis diversa; sed in re, quae significatur, paria. Eadem fides Tr. 45. & eorum, qui venturum esse, & eorum, qui eum venisse crederunt.

## X.

Cum manifestum sit, Evangelicam Christi Ecclesiam esse visibilēm; eam quoque habere signa, seu notās, ex quibus dignoscī possit; cūm verò tot in mundo sint Sectæ, tametsi in doctrina sibi contradicentes, quarum tamen quævis gloriatur apud se esse veram Christi Eccleiam; dicimus, ibi veram Christi Ecclesiam agnoscī debere, ubi cum unitate fidei, sanctitas Doctrinæ, & morum à Christo tradita, & ab Apostolis per orbem diffusa hō die dum reperitur: igitur sit *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica*; *Una* in Doctrina, & mysteriis fidei; nam *Unus Dominus, una fides*. Ephes. 4. v. 5. Cum enim mysteria fidei ex revelatione Divina innotescant, & impossibile sit, ut Divina veritas opposita doceat, & sibi ipsi contradicat; impossibile quoque est, ut vera sit fides, & Ecclesia, & non sit una; ideo Paulus Gal. 1. *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam, quod evangelizavimus, anathema sit*. *Sancta* in rectitudine, & puritate Doctrinæ; nam in vera Ecclesia est Doctrina Christi; Doctrinam autem Christi necesse est esse Sanctam, ita, ut, qui hanc secutus fuerit, expeditam habeat viam ad DEUM; licet dein per accidens plurimi, spernendo suis moribus hanc doctrinam, devient. *Catholica* seu per orbem diffusa non quidem mathematicè; sed ut quivis, nisi demereatur, præparatum hunc montem Domini super verticem montium videre possit, ut Aug. Tr. 2. in Joan. explicans illud Isai. 2. v. 2. Tandem sit *Apostolica*; nam vera Christi Ecclesia ab Apostolis originem habere debet, & fundata super fundamentum *Apostolorum, & Prophetarum*. Ephes. 2. v. 20.

## XI.

Quare assentiri non possumus Protestantibus *sinceram Verbi Dei prædicationem, & legitimum Sacramentorum usum esse notas*, ex quibus vera Christi Ecclesia dignoscī possit, docentibus; quot

enim Sectæ sunt, quanquam è diametro sibi contradicentes, qua-  
rum tamen quævis affirmat, se habere sinceram Verbi Dei prædic-  
tionem, & legitimum Sacramentorum usum? hoc prædicat Lutherus,  
qui tamen Epistolam ad Hebr., Jacobi, Apocalypsim inter DEI  
verba non recenset; hoc idem dicit Calvinus, qui tamen hos li-  
bros tanquam Canonicos agnoscit; & tamen uterque affirmat, se  
habere sinceram Verbi DEI prædicationem. Utri credendum?  
Videndum ergo priùs, quæ vera sit Ecclesia Christi, ad quam  
solam pertinet judicare, & decidere, quæ sit pura, & vera Do-  
ctrina Christi; ideo Aug. l. cont. Epist. Fund. c. 5. Evangelio non  
crederem; nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. Necesse  
est quidem, in vera Ecclesia esse sinceram Verbi DEI prædica-  
tionem, & legitimum Sacramentorum usum; sed unde sciunt  
Sectarii, in suo cœtu has notas haberi? qui tamen seipso invi-  
cem damnant, & adeò inconvenienter traducunt. Monet qui-  
dem Christus Joan. 5. Scrutamini Scripturas: & cum aliis Ss. Pa-  
tribus ait Aug. Epist. 105. In Scripturis discimus Ecclesiam. At Scri-  
pturam suam legitimam, & Divinam esse priùs scire debent; an-  
tequam ex illa testimonium proferant.

## XII.

Ex allata à nobis hucusque Doctrina sequitur manifeste con-  
tra Libertinos, & Quintinistas, cùm Christus Marc. 16. à v. 15.  
Doctrinam suam, & Evangelium prædicandum Apostolis man-  
dayerit addens; *Qui non crediderit, condemnabitur*; tantum unicam  
esse veram Christi Ecclesiam, extra quam æternæ salutis conse-  
quendæ spes nulla haberi potest; nam *unus Dominus, una fides*.  
Ephes. 4. Si enim plures, ut illi sibi parsuadent, essent Eccle-  
siæ, in quibus salus æterna obtineri possit; aut Ecclesiæ una-  
nimitate docerent Doctrinam fidei, quam Christus docuit: & sic  
esset *una*, non plures Ecclesiæ? aut si unanimem Christi Doctri-  
nam non docerent: sequitur, eas fore falsas Ecclesiæ; cùm Di-  
vina veritas contraria sibi esse non possit: ideo præmonuit Chri-  
stus ipsemet Matth. 7. v. 15. *Attendite à falsis Prophetis*: præmo-  
nuit Petrus Epist. 2. c. 2. v. 1. *Erunt Magistri mendaces*, qui intro-  
ducunt *Sectas perditionis*. Quam igitur spem æternæ salutis habere  
pos-

possunt, qui inter Sectas perditionis oberrantes Doctrinam Christi amplecti detrectant?

### XIII.

Dicimus proinde illam, quam Christus instituit, & Apostoli prædicarunt, *solan esse Romano-Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Hæc enim sola tot habet, tanta, tamque evidentia credibilitatis motiva, ut nemo sanæ mentis de ejusdem veritate dubitare possit; sola enim Romana Ecclesia Christum Authorem se habere, & Apostolos Propagatores ostendit; nullus Author alius, nullum tempus, nullus locus assignari potest, per quem, quando, & ubi incepisset; nisi usque ad D. Petrum deveniatur, super quem Christus Matth. 16. suam ædificavit Ecclesiam. Ostendit ex *vaticiniis persecutionum*, quas Christus suæ prædictæ Ecclesiæ Joan. 15. v. 20. *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis. Si me persecuti sunt, & vos persequenterur.* Matth. 10. v. 16. *Ecce, ego mitto vos, sicut oves in medio luporum.* Quæ unquam Ecclesia tot, tamque horrendas persecutions sustinuit, quam *Romano-Catholica*? impossibile autem est, ut illa inter tantos, tamque immanes turbines firma semper, & inconcussa mansisset, atque à tot Tyrannis, Principibus, Sectariis, Hæresiarchis non fuisset jam penitus extinta; nisi altiori, superna, atque Divina virtute eviderter protecta fuisse dicatur; cum inter omnes pressuras semper adhuc illustrior mundo evaserit. Igitur impossibile est, ut hæc *Romano-Catholica Ecclesia* non sit illa, quam Christus instituit, & Apostoli prædicarunt, Ecclesia. Ostendit ex mirabili Gentium ad eam conversione, quam de vera Ecclesia prædictæ Isai. 2.v.2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini... & fluent ad eum omnes Gentes,* quas viri Apostolici nullo rerum temporaliū, nullo divitiarum fœnore illecti inter tot vitæ pericula, toleratas pro Christo contumelias, atque ludibria, vincula, & catenas; ovinâ tamen semper, quam à Christo didicerunt, manfuetudine ad Romanæ Ecclesiæ Gremium deduxerunt, de quibus tot, ac tantæ authoritatis Historici dant testimonia, quæ negare extremæ foret insaniæ. Interim dicant adhuc *Confessionistæ*, qui Ecclesiam Romanam primis V. Sæculis veram agnoscunt, &

postea defecisse ajunt: quam aliam nobis Ecclesiam assignabunt? non suam; cùm ejus authores post duodecim Sæcula in mun-  
dum primò sint nati. Quam igitur aliam? si nullam: igitur per  
XII. Sæcula prævaluerunt inferorum portæ adversus Ecclesiam?  
perierunt omnes, quotquot per illa Sæcula vixerunt Viri sancti-  
tate, innocentia, vitæ probitate, ac miraculis illustres? frustra  
per integra illa Sæcula sanctum Evangelium erat deprædicatum?  
frustra omnia Sacra menta, ac salutis remedia? manifestam Se-  
ctariorum nemo non videt falsitatem Christi promissis, Prov-  
identiæ Divinæ, & ipsi sanæ rationi repugnantem. Audiant igitur,  
& credant August. lib. i. de Symbol. cap. 6. *Ipsa est*  
*Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra*  
*omnes hereses pugnans, pugnare potest; expugnari non potest.* Agno-  
scant igitur, si salvare desiderant, Romanam esse veram illam,  
quam Christus instituit, Ecclesiam; nam extra Ecclesiam veram  
non datur salus; cùm qui non crediderit, condemnabitur.

***De Primatu D. Petri, ac Romanorum Pontificum  
Successorum ejus.***

**Q**uantum Protestantes in Primatum D. Petri animis ardeant;  
nemo est, qui non videat; sed nemo est etiam, qui ma-  
nifestos eorum errores non animadvertiscat. Isti igitur; nisi Di-  
vinæ Providentiæ ordinationem, infallibilem Christi promissionem,  
Ss. Patrum tam Græcorum, ut S. Athanasii, Basili, Cyrilli, Chry-  
stomi; quam Latinorum, ut Hilarii, Ambrosii, Hieronymi,  
Augustini testimonia rejicere velint; D. Petro Primatum autoritatem,  
& jurisdictionis super universalem Ecclesiam omnino concedere de-  
bent. Promisit Christus Petro, coram aliis Discipulis Divini-  
tatem suam adeò fideliter confitemti, Matth. 16. *Tu es Petrus, &*  
*super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & Tibi dabo claves Regni*  
*Cælorum:* infallibili ergo, & adeò manifestæ credant promissioni  
Christi. Quid autem petram, & fundamentum esse Ecclesiæ?  
quid claves ejus habere; nisi supremam potestatem, & Regimen  
designat? Reges quoque ob supremam eorum Potestatem funda-

menta

menta esse, & claves Regni sui habere dicere solemus: & DEUS ipse per claves supremum suum Regimen Domus David nobis insinuat Apoc. 3. *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet claves Domini David.* Neque negare possunt promissionem istam à Christo adimplerent; cum evidenti adeo, & trino præcepto Petrum Ecclesiæ suæ constituisse Pastorem Joan. 21. à v. 15. *Pasc agnos... Pasc oves meas.* Numquid autem, qui Pastor constituitur, ei etiam Pastorale officium commissum esse negari potest? ut præbere ovibus cibum, præesse, regere, defendere à lupis, errantes castigare, curare infirmas, dispersas colligere &c. Pascere igitur non simplex est Ministerium, ut volunt illi; sed potestatem, & autoritatem regendi designat. 2. Reg. c. 5. v. 2. *Tu paces populum meum Israël, & tu Dux eris super Israël.* Ideo Hieronimus alii Ss. Patribus l. r. cont. Jovin. *Licet super omnes Apostolorum ex aequo Ecclesia fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligatur, ut capite constituto Schismatis tollatur occasio.* Ideo

## II.

Sequitur per consequentiam necessariam, cum usque ad saeculi consumationem oves Christi sint futuræ, & Christus Petrum visibile caput, & Pastorem ovium constituerit, officium Pastorale cum Petro non expirasse; sed necessario in eadem capitum, & Pastoris auctoritate Pastoralis officii successionem admitti debere; Per severant, ait S. Leob. Serm. 2. de Annivers. suæ assumpti die ad Pontificis Petrus, & vivit in suis Successoribus. Quæ enim alias Christi Providentia, si ovili perpetuo diurnum tantum Pastorem præficeret? Non tamen asserere intendimus, Petri Successores eundem in donis particularibus, & privilegio personali succedere, ut dono Linguarum, miraculorum &c.; sed dicimus cum Aug. in Psalm. 108. quædam à Christo ad Personam Petri dicta fuisse, quædam vero, ut gerit Personam Ecclesiæ propter Primatum, quem in Discipulis habuit, sicut est: *Tibi dabo claves.* Inconvenienter proin Adversarii quælibet à Christo ad Petrum dicta in Successores ejus detorquent, ut inter alia illud est: *Vade retro me Satana.* Marc. 8. v. 33. ubi personalis errati reprehensio duntaxat insinuatur.

## III.

Porro legitimum Petri Successorem eum esse dicimus, quem saecula omnia, quem Ss. Patres, quem Concilia, quem universa per orbem Ecclesia agnoscit, nempe Romanum Pontificem. Praefecto in signis amentiae notari deberet ille, qui Julium Cæsarem Romanum Imperatorem unquam fuisse temerè negaret, quem tamen saecula omnia, omnes Historiographi, & omnium gentium unanimis traditio fuisse narrat. Quem igitur Ss. Patres venerati sunt: S. Irenæus vicinus temporibus Apostolorum l. 3. c. 3. Epiphan. Hær. 68. S. Cypr. l. 4. Epist. 8. Ambros. Aug. Hieron. quem Concilia: Nicæn. I. in primordio nascentis Ecclesiæ celebratum, quod à Sylvestro tunc Romano Pontifice exoravit: *Quidquid autem constituimus in Conc. Nicæno, precamur oris vestri confortio confirmetur.* Concilium Florent. in litteris Union., quod contra Græcos aliquos Primatum Romani Pontificis negantes tandem concilianter ponuntiavit: *Definimus, S. Apostolicam sedem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Romanum Pontificem esse B. Petri Principis Apostolorum Successorem, & verum Vicarium Christi;* & novissime Concilium Trident. Sess. 24. c. 1. Quem ipsi Imperatores Romani: Aurelianus in causa Pauli Samosateni, Valentinianus Epist. ad Theod., Justinianus Nov. 131. Tit. 14. & nos venerari debemus, esse Successorem D. Petri. Perperam igitur quorumdam Patrum testimonia proferuntur, qui aliquando Apostolos cum Petro pars confortio, & potestate esse dicunt, ut Cypr. l. 2. c. 2. de unitate Ecclesiæ; discernere enim oportet, quando Ss. Patres de potestate Apostolorum communiter ipsis à Christo data, quando vero de Primatu loquuntur. Citant quorumdam Conciliorum Decreta, & Canones, ut vulgatum illum Canon. Concilii Nicæni: *Antiquus autem mos perduret; sed principium Canonis ejusdem subticent: Ecclesia Romana semper habuit Primatum: antiquis autem mos,* &c. Citant Concilium Chalced., in quo Episcopus Constantinopolitanus cum Romano Pontifice æqualis authoritatis definitur, & Can. 9. & 17.; sicut & in Concilio Ephes. act. 4. appellationem ad Episcopos Constantinop. & Jerosolym. fieri debere sanctum erat; cum tamen Chalcedon. Concilii Patres act. 16. decreverint: *Sedem Romanam esse omnibus,* & per omnia primam, & Concilium Ephes.

act. 2. Sed quid mirum? mos enim est Sectariis, ut veritatem tollant, verba demere, mutare, addere, aliena substituere; ut ex veritate falsum elicere possint; quod in ipso Concilio Chalced. evenit, cum absentibus jam sedis Apostolicæ Legatis Annatolius Constantinop. Episcopus inductis in partem suam aliquot Episcopis plures canones fraudulenter substituit, quos Leo Summus Pontifex reprobaverat.

#### IV.

Haud parùm à Catholica veritate alienos se reddunt illi, qui Papam Oecumenicò Concilio subjiciunt; vicini enim sunt proscriptæ ab Alexandro VIII. propositioni An. 1690. 7. Decemb. N. 29. Futilis, ac toties convulsa est de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum authoritate: vicini sunt anathemati, quod in die Cœnæ Domini ferri solet, quô prohibetur appellatio ad futurum Concilium Oecumenicum à sententia Romani Pontificis, cui haud dubie restitissent Episcopi, si autoritatem Romani Pontificis supra Concilia Oecumenica non agnoscerent. Non ad Concilium, sed ad Petrum dixit Salvator concedens supremi Regiminis Authoritatem: *Pasce agnos . . . . Pasce oves meas.* Absurdum proinde foret Supremum Pastorem ovium suarum subjecere imperio, & potestati. Credant ergo verbis Christi; sed etiam ipsis Conciliis Oecumenicis: Nicæn. I. in Epist. ad B. Sylvestrum, Chalced. in Epist. ad S. Leonem Magnum; Quibus (ajebant Ss. Patres ad Leonem) tu quidem tanquam caput præeras. Con. Latteran. sub Leone X. Ses. II. Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam authoritatem super omnia Concilia babere. Et novissime Trident. Ses. 25. c. 21. Postremò Sancta Synodus omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, que de morum reformatioне . . . . in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ita decreta fuisse, ut in his salva semper autoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur. Insuper qua ratione Concilia Romanum Pontificem Vicarium Christi, Successorem D. Petri, Caput supremum, Pastorem universalis Ecclesiae, Patrem suum, appellare potuissent; nisi hac ipsa appellatione supremam ejus autoritatem se recognoscere indicare voluissent? Intelligimus autem de certo, non vero in Schismate electo Romano Pontifice, prout ipsum Concilium Constant., quod Adversarii act. 4. in con-

trarium adducunt, act. 5. intelligit; ideo Martinus V., quæ con-  
ciliigriter in hoc Concilio acta sunt, solummodo approbavit. Quod  
ipsum ab Eugenio IV. in Concilio Basileensi factum constat, qui  
Constit. *Inscrutabilis*, & Constit. *In arcano omnia decreta*, quæ con-  
tra Romanæ Sedis authoritatem statuere act. 33. ausi sunt, cassa-  
vit penitus, & annullavit.

## *De Infallibilitate Romani Pontificis, seu infallibili Judice Controversiarum Ecclesiæ.*

### I.

**A**dmittendum esse aliquem *Controversiarum Judicem* in Ecclesia  
Christi, qui exortas in materia fidei, Religionis, & morum  
difficultates, atque dubia resolvendi *infallibilem* habeat potestatem.  
Non ignorabat DEUS, plurimas difficultates in Ecclesia sua  
exorituras: igitur necesse erat; ut Ecclesiæ suæ de Judice pro-  
videat, cujus ultimæ resolutioni standum erit. Testis est evi-  
dens nimis experientia, quot Doctrinæ variæ, nova dogmata,  
quot sectæ circumferantur, de quibus prædixit Petrus 2. Epist. 2.  
*Eruunt in vobis Magistri mendaces, qui introducent Sectas perditionis:*  
præmonuit Paulus Hebr. 13. v. 15. *Doctrinis variis, & peregrini-*  
*nis nolite abduci, & Christus ipsemet Matth. 7. v. 15. Attendite a-*  
*falsis Prophetis:* si igitur nullus in Ecclesia sit Judex, qui supre-  
mam, & infallibilem à DEO habeat autoritatem, veram Chri-  
sti proponat Doctrinam, & vera à falsis discernat. Profecto  
omnia incerta, omnia dubia, omnia nobis erunt ambigua, nec  
salus æterna possibilis; cùm fides Divina, & Religio à DEO  
revelata debeat esse certissima, ita, ut homo firmiter, & infalli-  
biler credere debeat, hæc esse, quæ DEUS revelavit. Quomo-  
do enim certò, & infallibiliter credere possemus, inter tot Scri-  
pturas, quæ circumferuntur, Traditiones, quæ dantur, has esse  
legitimas, & Divinas; nisi legitimus adsit Judex, qui hæc esse  
Divina infallibilem habeat autoritatem determinandi. Sequitur  
igitur, Judicem in Ecclesia Christi debere esse *infallibilem*: nempe  
in iis omnibus, ex quorum defectu universali Ecclesiæ, & saluti  
animatorum non satis provisum esset. *Clarum, & apertum, secus*  
*intr-*

intricata magis forent negotia. *Visibilem*, & *perceptibilem*; quia *Judex Communitati*, cui *præest*, debet esse accommodatus.

## II.

Quām graviter igitur errant Protestantes, qui ultimum Controversiarum Judicem *Sacram Scripturam* esse volunt, exclusā omni alia regulā, & vivo Judge Controversiarum. Dicunt se per ipsum Christum ad Scripturam tanquam ad Judicem dirigi Joan. 5. *Scrutamini Scripturas*. Scrutentur igitur, & invenient Joan. 21. dici Petro: *Pasce oves meas*: Matth. 16. v. 18. super Petrum petram ædificari Ecclesiam: dari ipsi claves Regni cœlorum. Credant ergo Scripturæ: agnoscant Petrum, & Successores ejus Pastores suos. Et si Scriptura adeò clarus, & ultimatus est *Judex*, ut secundūm ipsos in illo Matth. 26. *Comedite, & bibite ex eo omnes*: in quo Communionem sub utraque specie fidelibus à Christo præceptam esse volunt; dicant: cùm Christus Matth. 6. clare dixerit: *Cum jejunaveris, unge caput tuum, & faciem tuam lava*? cur non ungunt caput, & lavant faciem, quando jejunant? imò cur jejunium planè condemnant? Dicant item, cùm adeò clarum sit Christi dictum Matth. 10. *Nolite possidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam*: cur non obediunt Scripturæ possidentes argentum, peccuniam, & aurum? dicunt, non possidere aurum, & peccuniam tantūm Apostolis dictum: dicam; & illud bibite Apostolis à Christo dictum fuisse. Et ut luce meridiana sit clarius: Lutherus suam habet Scripturam Judicem, Calvinus suam: uterque litigat, alter contradicit alteri. Quis hīc erit *Judex*, qui eos componet? sequantur ergo potius consilium D. Aug. L. cont. Epist. Fund. c. 5. *Evangelio non crederem; nisi me Catholicæ Ecclesie autoritus commoveret*.

## III.

In longè pejus judicium abeunt Novatores à Quintinistis parum differentes, qui sufflante spiritu nequitiae spiritum privatum Controversiarum Judicem invenerunt; quem apud Valemb. tom. I. Controv. I. de trip. rat. cred. sic depingunt: *Quidquid homini lecta, vel audita Sacra Scriptura incidit, id à Spiritu Sancto inspiratum certe teneat*. Sed quæ janua flagitiis, sceleribus, omniumque gene-

rum vitiis à mentito isto spiritu aperietur, & pessima effroeni libertati consulet? quæ exinde fidei, Religionis, rerūmque omnium confusio, atque turbatio? Dum Sectariorum Spiritus sibi invicem contradixerint, nullum alium Judicem agnoscentes. Isto meritò dixerimus esse inter illos, de quibus Ezech. c. 13. *V& Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, ... vident vana, & divinant mendacia.* Audent enim ex ipso DEI verbo hunc ementitum spiritum argumentari; inique interpretantes Divinas Promissiones, quibūs DEUS veris fidelibus copiosiores gratias, internas illustrationes, & specialia inspirationum lumen se daturum promiserat sive in veteri, ut Isai. 54. v. 13. *Poniam . . . universos filios tuos doctos à Domino* Jerem. 31. v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum: sive in novo Testamento,* Joan. Epist. 1. c. 2. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unicuius ejus docet vos de omnibus.* Sequantur igitur monitum Joan. Epist. 1. c. 4. *Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus; si ex Deo sint;* quia ut Petrus Epist. 2. c. 1. *Omnis prophetia Scriptura propria interpretatione non sit;* ideo, qui proprio spiritu eandem interpretari audet; hic, ait Paulus Epist. ad Tit. c. 3., *Proprio iudicio condemnatus est.*

#### IV.

Dicendum est ergo cum Ecclesia Catholica, eum infallibilem Controversiarum esse Judicem, quem Christus constituit, eique infallibilem promisit assistentiam; Petrum nempe, ejusque legitimos Successores Romanos Pontifices. Ideo infallibile dicimus Supremi in Ecclesia Capitis Romani Pontificis non solum in -; sed etiam extra Concilium Oecumenicum ex Cathedra loquentis iudicium; quam auctoritatem Christus se à Patre suo Petro in persona impetrasse evidenter nobis insinuat Luc. 22. v. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* non enim frustra hæc sunt: *Pro te, fides tua, tu, confirma fratres tuos;* sed ut intelligamus, peculiare aliquid Petro à Christo esse imperatum. Præcepit Petro Joan. 21. *Pasce oves meas: Doctrinā nempe;* non autem utique dubia, vel falsa: igitur infallibili; & cùm Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam: neque prævalebunt adversus petram, & fundationem;* non enim Funda-

mentum

mentum ab ædificio; sed ædificium à fundamento accipit firmitatem. Nec in Conciliis Oecumenicis Patres adeò solliciti semper institissent, ut à Romano Pontifice eorum decreta confirmarentur; si fallibilem, erroribus obnoxium, & infallibilem authoritatem eundem à Christo non habere credidissent; quod ipsum ex Apostolica Traditione didicerunt; cùm ante Concilium Nicænum I. ad An. 327. per III. Sæcula nullum Oecumenicum celebratum fuisset; attamen Sæculo I. Petrus hæresim *Simonis Magi*: Linus, Cletus, Clemens *Nicolitarum*: Sæc. II. Anacletus *Marcionistarum*: Sæc. III. Victor I. *Montanum*, Origenem, &c. damnârint.

## V.

Cùm Pastor universalis Ecclesiæ Romanus Pontifex commissas fibi oves non tantùm fidei; sed etiam morum Doctrinâ pascere debeat; infallibilem Spiritus S. afflîentiam non in fidei duntaxat; sed etiam *decretis* morum pro universalî Ecclesia editis agnoscimus; non enim aliàs infallibilis Christi Promissio firma staret; si admitteret, ut Romanus Pontifex, cuius Doctrinam Ecclesia recipere tenetur, perversâ morum Doctrinâ præcipiendo vitia, & virtutes prohibendo oves pasceret. Non tamen inficiamur, Romanum Pontificem in *causis civilibus*, *humanis scientiis*, *questiōnibus facti* mere *personalis*, *séntentiis à se* ut *privato Doctore propositis*, & *hujusmodi* errare posse; sed dicimus, cùm infallibilis authoritatis privilegium Petro, ejusque Successoribus concessum sit, ne portæ inferi adversus Ecclesiam prævaleant; ideo tunc infallibilem dicimus Romanum Pontificem; cùm Supremum munus docendi universam Ecclesiam in rebus fidei, morūmque exercet, cum voluntate obligandi omnes fideles ad credendum fide Divina.

## VI.

Infallibilem hanc Romani Pontificis autoritatem & *in factis Dogmaticis*, seu *connexis cum jure* veneramur contra iniquam *Jansenistarum* hanc Romano Pontifici denegantium opinionem. Prædixit Christus in Evangelio, surrecturos Pseudo-Prophetas, qui seducunt multos: præmonuit Paulus Hebr. 9. *Doctrinis variis*, & *peregrinis nolite abduci*. Igitur necesse est in Romano Pontifice uni-

versalis Ecclesiæ Pastore infallibilem esse authoritatem, qui veritatem à mendacio: Doctrinam veram à falso dogmate, & Evangelicam veritatem à sectis perditionis discernat. Non igitur suæ consulunt saluti Jansenistæ obsequiosō suo, ut vocant, silentio: externe ob reverentiam Apostolicæ authoritati debitam proscriptas propositiones non admittere; internè tamen eas ut Catholicas credere; ait enim Paulus Rom. 10. v. 10. *Corde enim (notent) creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.*

## VII.

Insuper notatae iniquitatis est error Wicleffi docentis teste Thomas Waldensi Tom. 3. de Sacram. c. 12. *Papam errare posse in Canonizatione Sanctorum; non minis ac Regem Æthiopie, aut Turcam, aut Sultandum.* Sed non mirum; nam ut error errori serviat, cæcus cæco ducatum præstet, & ambo in foveam cadant; necesse est, causam, seu fundamentum veritatis, atque luminis ē medio tollere. Tollunt isti infallibilitatem Canonizationis, ut cultum Sanctorum, & Gloriam DEI, qui in Sanctis suis laudatur Psalm. 150., ē medio tollere possint. At impossibile est, & planè repugnans Divinæ Providentiæ, ut Ecclesiam universam per plura Sæcula tam turpiter errare permisisset, cultumque Sanctorum tot evidenter adeò Divinæ suæ Omnipotentiæ prodigiis sibi placitum ostendisset. Cùm igitur Sanctorum Canonizatio gravissimum sit Religionis negotium, quod quidem directè ad mores pertinet, cùm fit de cultu Religioso, & indirectè ad fidem, cùm oblitus ad firmiter credendum, canonizatum beata frui immortalitate, Sixtus IV. in Canonizatione S. Bonaventuræ: *Hunc Sanctum esse fideliter, firmiterque teneri debere decernimus.* Bonifacius IX. de S. Birgitta: *decernimus, declaramus, definimus eam ab universalis Ecclesia venerari debere;* nemo; nisi Divinæ Promissioni, & Veracitati injuriosus esse velit, in gravissimo isto negotio infallibilem Romano Pontifici Spiritū S. assistentiam negabit.

## VIII.

Addimus & aliud commentum Wicleffi, atque Hussii de Sacris Religiosorum Ordinibus adeò iniquè loquentium: *Illos à Diabolo adiumentos*

ventos esse: *Sanclos*, qui illos instituerunt, peccasse: ingredientes Religionem, aut Ordinem aliquem eo ipso inhabiles ad observanda Dei Pracepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum celorum; ideo Pontificem in approbandis Religiosis Ordinibus errare posse. Quod, quam iniquè sit dictum, D. Thomas Opusc. 19. c. 4. inuit: *Cum aliqua Religio per Sedem Apostolicam instituta est, manifeste se dannabilem ostendit, qui talem Religionem damnare conatur;* cùm sacer Religiosorum Ordo non sit aliud, quam publicum vitæ genus Evangelicæ Doctrinæ à Christo traditæ perfectionem in Paupertate, Castitate, & Obedientia profitentium. Audent igitur inexcusabili temeritate Divinam Christi Doctrinam impetere, atque improbare, qui, quod verbô docuit, exemplô firmavit; docuit enim Matth. 5. v. 3. *Beati pauperes Spiritu.* v. 8. *Beati mundo corde:* Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vende, quæ babes, & da pauperibus . . . & sequere me.*

## IX.

Cùm igitur manifesta adeò, & evidens, adeò firma, & certa sit Promissio Christi, qua supremo universalis Ecclesiæ Pastori Petro, ejusque Successori Romano Pontifici infallibilem Divinæ suæ protectionis assentiam usque ad finem mundi ad futuram promiserat; ne inferorum portæ prævaleant; vel hæc sufficeret, quæ à tam gravibus calumniis Romanum Pontificem vindicet, inter quas est enormis illa de *Joanna Papissa*, quæ sedisse ab hæreticis fingitur in sede Pontificia ad An. 855. *quæ profecto putidissima fabula est;* per ipsas fabulantum contradictiones prodata. Dicunt hunc ementitum Pontificem annis duobus, & V. mensibus post S. Leonem IV. sedisse; cùm tamen inter eundem, & Benedictum III. ejus immediatum Successorem diebus duntaxat XV. sedem vacasse Synchroni, & probati testentur Authores, Anastasius, Ado Viennensis; quin Hincmarus Rhemensis Epist. 26. ait, semisisse, Romam ad Leonem IV. nuncios, qui tamen non jam Leonem, sed Benedictum Pontificem in demortui Leonis locum electum sunt venerati. Insuper dicunt aliqui, eam Moguntiæ in Anglia, ut manifestius errent, alii in quadam Margantia natam fuisse: alii appellant VIII. quidam VI. nonnulli planè XXII. Sanè inter Calvos illos numerandi, qui Susanam à se deprehensam

sam dicebant, unus sub *Schinō*, alter sub *Prino* arbore: *Recte in caput suum mentiti.* Dan. 13.

X.

Historiam *S. Marcellini* Romani Pontificis ad An. 296. ad Crisim quoque revocantes eundem à perpetratæ Idololatriæ nota vindicandum cum S. Aug. l. de un. Bapt. c. 16. censemus. Arguitur Sanctus hic Pontifex in templo *Iidis*, & *Vestæ* sub Diocletiano metu mortis Thus obtulisse, & facti poenitens Sinuessa in Concilio 300. Episcoporum errorem retractasse. Verum ex ipsa faci narratione vacillat veritas; cùm in tristi illo, atque turbulentissimo persecutionum tempore, quo Præfules in exilium, fideles ad mortem, totaque Ecclesia ad interitum ubique locorum quaerebatur, tantus Episcoporum numerus convenire vix poterat, quod in maxima Ecclesiæ pace & tranquilitate, etiam adnittente Constantino Magno Nicææ in Bythiniæ vix poterat effici. Diminuunt veritatem ipsa hujus, si quod erat, Concilii acta sibi non cohærentia, quæ dicunt, *S. Marcellinum* in confessu Patrum eosque factum suum negasse; *Donec testium multitudine, & incluctabilis præsentia convictus fuerit.* Nullus quoque Episcoporum, qui Marcellini subscriptisse damnationi notantur, suæ Dioceſeos, aut loci adscripsit nomen; id quod certò in nullo hactenus Concilio actum observamus. Melioris itaque notæ Critics Regula est: *Facta antiqua per testes coævos, vel proximè coævos probari debent; nam securi aut fabulosa sunt, aut quam maximè dubia.* Coævi, & rerum Ecclesiasticarum antiquissimi Scriptores sunt: *Eusebius*, & *Theodoretus*, qui in Pontificum Historia vitam, & gesta Marcellini scriperunt, neuter tamen nec de lapsu Marcellini, nec de Concilio Sinuessa habito ullam faciunt mentionem; cùm tamen Eusebius, ut ex ejus L. de Conc. Nicæno, & Ariana hæresi constat, Romanæ Sedi parùm addictus fuisse videatur. Ideo S. Aug. cit. loc. *Donatistas*, qui factum istud Catholicis objiciebant, & nec temueri probare poterant, *Calumniatores* appellaverat. Refert quidem fiducum Marcellini Breviarium, & Martyrologium Romanum, & antiquus quidam codex Damaso Pontifici inscriptus; verum ait Benedictus XIV. L. 4. de Serv. Dei Beat. P. 2. c. 13. & cum eo Benedictus XIII. in Dissert. de Reliq. S. Bartholom. *Quæ in Bre-*

*viario*

Et in  
Cri-  
vin-  
uitur  
tano  
onci-  
faci-  
ento  
deles  
quæ-  
erat,  
ente  
Di-  
non  
eò  
cta-  
qui  
lo-  
um  
m-  
ficus  
Ec-  
pre-  
ip-  
lio  
19.  
oc-  
ter  
fa-  
&  
ait  
20.  
e-

vario Romano relata, & approbata sunt, de iis debita cum modestia, & gravi fundamento, quæ occurruunt in factis historicis difficultates, exponere licet, eisque iudicio Sedis Apostolice supponere. Unde idem Benedictus XIV. in Mart. Form. Ven. 1749. ad 26. Aprilis cum aliis non paucis factum Marcellini prætermisit.

## XI.

Liberium quoque Romanum Pontificem circa Divinitatem Christi semper Catholicè sensisse, adeoque immerito Arianæ heresim à Novatoribus inculpari censemus cum Ruffino Presbytero antiquissimo Scriptore, qui attestatur L. 10. c. 27. se sedulò indagasse, & tamen in antiquis Scriptis nihil offendere potuisse, quod Liberium Arianæ heresi subscriptisse evinceret, cui Severus Sulpitius L. 2. Hist. Sac. Socrates L. 2. c. 30. Nicephorus L. 9. c. 37. antiquissimi, & ferè coævi clarè testimonium perhibent. Nec sine fundamento; cum enim Liberius Constantio Imperatori Ariano fortiter restitisset, actus in exilium Beroeam inibi ex tribus formulis Sirmiensibus Prima, quam Demophilus Beroensis Episcopus ei obtulerat, subscriptisse testantur, quam formulam Catholicam fuisse S. Hilarius L. de Syn. affirmat; licet enim ly ὅμοιοι in illa formula non fuisset expressum; erat tamen: *Verbum esse DEUM de DEO*. Quamvis dein subscriptionem hanc Semi-Ariani perversè fuerint interpretati, occasione cuius rumoris S. Hieronymus, Liberium Arianæ formulæ subscriptisse, contra Fortunatianum Episcopum Aquileensem, qui Liberium ad hoc sollicitaverat, conquestus erat, quod idem S. Athanasius Epist. ad sol. vit. agen. Ideò inter figura reponimus imposita S. Athanasio, quæ in Liberium dixisset, Anathemata, utpote Sancto Viro planè indigna: *Anathema tibi à me dictum Liberi, & Sociis tuis. Iterum tibi Anathema, & tertio prævaricator Liberi!* Non autem inficiamur, ob tot falsa, & excogitata crimina, quæ Semi-Ariani tam splendidè proponere noverant, Liberium in condemnatione S. Athanasii deceptum fuisse; qui error facti duntaxat privati erat; nec Athanasiū Liberius ob fidem, quam fortiter defenderat; sed propter enormia delicta, falsis tot testimoniis ad speciem vera, condemnavit; nec tamen mirum, si unum deceperunt hominem, qui totum ferè mundum suis dolis involverunt.

## XII.

Nonminori calumniâ Acatholici cum Maimburgo Tr. hist. c. 18.  
*Honorio I. Monothelitismum impingunt, eumque à VI. Synodo proscriptum mendaciter asserunt, quem tamen ipsamet ejus data ad Sergium Epistola (unicum eorum fundamentum) ipse quoque Joannes Abbas Scriptor Epistolæ, & Joannes IV. secundus post Honorium Pontifex ab hac calumnia immunem esse testantur.* Hæc enim Epistola non ad universalem Ecclesiam; sed ad Sergium duntaxat directa fuit, nullum novum fidei dogma proposuit, aut determinavit; nisi hoc unum, quod est verissimum: *duas scilicet in Christo naturas esse distinctas, inconfusas, & impermixtas, Divinam nempe, & humanam: Christum operari Divina, & humana: non tamen duas in ipso esse voluntates, & operationes contrarias, ac sibi mutuo adversantes, quasi caro concupisceret adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem;* ideò in terminis ait: *Unam in JESU Christo confitemur voluntatem; adjungit rationem; quia Divinitas peccatum nostrum non assumit.* Quem eundem sensum, & mentem Honorii nemo melius, quam Joannes Abbas Scriptor hujus Epistolæ scire poterat; cuius Joannes IV. in Epistola ad Constantinum Imperatorem evidens testimonium perhibet: *Decenter dicimus, & veraciter confitemur unam voluntatem in Sanctæ ipsius dispensationis humanitate (Christi). & non duas contrarias mentis, & carnis prædicariū... secundum hunc igitur modum jam dictus Decessor noster (Honorius) prænominato Sergio Patriarchæ percunctanti scripsisse dignoscitur.* De quo ipso evidens quoque est testimonium celebris illa Disputatio S. Maximi cum Pyrho Sergii Successore; haud dubiè enim Pyrhus opposuisset Maximo; si Honorius duplicitis operationis, seu voluntatis in Christo tanquam novæ, & scandalosæ vocis silentium impo- suisset: unde merito hanc propositionem Epistolæ Honoriæ à Monothelitis fraudulenter assutam cum Spondano, Baronio, & aliis judicamus. Fraudulentiam Monothelitarum & amplius probat *secunda quedam Epistola sub nomine Honori conficta*, quam post annos primò 40. ad An. 681. Honorio jam ad An. 639. demor- tuo, in Concilio Generali VI. produxerant; cùm tamen in Con- cilio Lateran. sub Martino I. ad An. 649. celebrato damnatis Monothelitis nulla Honori fuerit mentio: amplius in VI. Synodo

tres quaterniones fraudulenter suppositi Act. 12. & 14. fuerunt de-  
prehensi. Quod ipsum in Epistola Agathonis à Monothelitis fa-  
ctum censemus ; in ea enim testatur ipsemet Agatho Epist. ad Con-  
stantinum Pogonatum : Romanam Ecclesiam nunquam à fide defecisse  
in suis Prædecessoribus, hæresibus semper resistentibus, ad quam Concilii  
Patres Petrum per Agathonem locutum ; in qua eadem Epistola  
ly Filiōque à Græcis expunctum Act. 4. deprehensum erat : ideo  
Spondanus cum Baronio ad An. 683. & meritò judicant : hanc  
Agathonis, & Leonis alteram Epistolam ad Constantimum Im-  
peratorem datam à Monothelitis fuisse corruptam ; ait enim Leo:  
se mittere solum ea, quæ Agatho decreverat. Quare universim dici-  
mus contra Acatholicos, cùm manifesta Christi promissio firma  
semper, & infallibilis stare debeat, nunquam ostendent, Pontifi-  
cem Romanum docendo ex Cathedra, seu proponendo Doctrinam  
universali Ecclesiæ errasse, in fide, in moribus, aut in necessa-  
rī ad salutem ; ita ut tota Ecclesia deciperetur.

## De Conciliis, atque eorum Authoritate.

### I.

Quām iniqua sint, & Apostolicis Traditionibus repugnantia,  
quæ Novatores de Sacris Conciliis inconsideratè loqui au-  
dēt ; ex ipsa Conciliorum origine, & Sacræ Scripturæ testimo-  
niis edocemur. Sacrorum enim Conciliorum originem ab ipso  
DEI Filio repetimus, qui in vivis agens convocatis in unum Apo-  
stolis gravissimam illam de Divinitate sua quæstionem discutien-  
dam proposuit Matth. 16. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?*  
quam Petrus Pastor futurus, & Supremum Caput Ecclesiæ resol-  
verat : *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Quod Divinitus Petro inspi-  
ratum Christus ipse testatus est : *Beatus es Simon Bar-jona;* quia ca-  
ro, & sanguis non revelavit tibi ; sed Pater meus, qui in cælis est.

### II.

Eapropter dicimus, Concilia Generalia sub suo legitimo Ca-  
pite Romano Pontifice Christi Vicario à Spiritu Sancto dirigi, at-  
que in Materia fidei, & morum (in substantia nempe rei moralis ;  
non autem quoad circumstantias, & rationes ab humana pruden-  
tia pendentes) universam Ecclesiam concernentium esse infallibi-  
lia,

lia, nec errare posse; cùm promissam sibi habeant Divini Spiritus assistentiam Joan. 16., quam ipsimet Apostoli in Concilio congregati adeò confidenter sunt attestati Act. 15. v. 28. *Vixum est Spiritui Sancto, & nobis:* quô confunduntur Sectarii, qui Sacris Conciliis non aliam authoritatem; nisi *simplicis inquisitionis* concedunt; insuper cuilibet liberum recipere, vel rejicere decreta Conciliorum, de quibus *Lutherus* se pluris non facere Concilium integrum, quâm Parochi unius industriam, vel unius Ludimagistri authoritatem.

### III.

Apostolicam ergo, cui refragari non licet, Traditionem sequendo dicimus cum Leone X. in Conc. Lateran. Sess. 19. Const. *Pax aeternus* §. 6. *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam authoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendum, transferendum, & dissolvendum plenum jus, & potestatem habere;* quam authoritatem, ait Leo: *Nedum ex Sacra Scriptura testimonia, dictis Ss. Patrum, ac aliorum Pontificum Praedecessorum, Sacrorumque Canonum decretis; sed propria etiam Conciliorum confessione manifeste constare.* Nam si tempora Apostolorum inspiciamus, jam Petrus Act. 1. In causa *electionis Matthei Apostoli:* c. 6. in causa *Septem Diaconorum,* & c. 15. *Legalium.* Sæc. II. Victor Papa contra *Quartodecimanos* Sæc. III. S. Melchiades contra *Donatistas*, & IV. Sæculo B. *Sylvester contra Arianos* convocârunt, præderunt, confirmârunt. Quod ipsum ex Epistolis Patrum in Conc. Nicæno ad *Sylvestrum*, Constantinopolitano ad *Damasum*, Chalcedonensi ad *Leonem Magnum* datis evidenter patet. Cùm igitur adeò evidens, & manifestum sit ex Sacra Scripturæ testimoniis, omnium Ss. Patrum, Theologorum, ac Conciliorum authoritatibus, ac per tot, tamque evidētia credibilitatis motiva ipsi rationi naturali consentanea, solam Romano Catholicam Ecclesiam esse illam, quam Christus super Petrum petram aëdificavit: esse magnum illum Montem, de quo Isai. c. 2. v. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium:* concludimus cum S. Aug. Tr. 2. in Joan. *Quid amplius distiri sumus, quâm cœcos, qui tam magnum montem non vident?* atque ad hunc ex amore veritatis & æternæ Salutis ascendere detrectant?